

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0915

0913

0919

0909

0924

0904

0964

0864


1014

0814

0414

Ende

Anfang



342

esse agrum illum sanctum, ascendimus per maceriam in ipsum, ut terram deoscularemus et consuetas orationes diceremus et collationem faceremus de mirabilibus ibi factis. Sed ecce nobis in agrum saltantibus per maceriam, occurrit quidam saevus Sarracenus cum clamoribus magnis et levatos lapides contra nos misit crebris jactibus nosque vi de agro repulit, et vix sine laesione recidimus per maceriam imam. Calinus autem et ductores nostri volentes locum dare irae incipiebant regredi in civitatem, nos autem nequaquam tam cito recedere volebamus a loco tam notabili, sed iram hominis placare contendimus, ut in loco devotioni vacare paululum possemus. Revocavimus ergo Calinum et diximus, ut cum homine conventionem faceret, et quod justum esset vellemus sibi dare pro intromissione in agrum suum. Erat enim dominus agri. Promissi sunt ergo sibi quatuor madini, et hac promissione facta placatus factus est homo et ascendit maceriam et peregrinis in alia parte stantibus manum porrexit et unum post alterum sursum traxit et in agrum suum ire permisit et nosmet ad locum perduxit, de quo creditur limum assumptum fuisse pro corpore Adae secundum veritatem catholicam, et hominem primum ibi productum fuisse, et nequaquam attendimus ad gentilium poetarum deliramenta, quae canunt, quendam Phoroneum esse primum mortalium patrem, ut Eusebius de Evang. Praep. Lib. X. dicit. Et Aethiopes ipsi virtute soli apud se primos homines coepisse dicunt, ut Diodorus L. IV. C. 1. dicit. Et increduli Aegyptii tradunt, primos homines apud se creatos tum bonitate soli, tum propter Nilum, qui multa generat, quae alibi nusquam reperiuntur. Sed omnia haec vana credentes, verissima et firmissima fide moti, cum ingenti devotione et lacrimis in hoc sancto loco in terram procidimus, eamque (b) deosculati sumus et orationibus consuetis, in processionali terrae sanctae signatis, dictis indulgentias accepimus (†) et post haec ad loci contemplationem nos convertimus.

Contemplatio de eminentia Adae in statu innocentiae pulchra.

Delectabile enim valde est et devotum, considerare res gestas in hoc agro, qui secundum doctores theologos est ager